



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

Præfatio. De varia vocis juris significatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**



I. M. I.

# PRÆFATIO.

*De varia vocis Juris significatione.*

I. **J**us sumitur primò pro scientia legum, ut dum quis dicitur juris utriusque Doctor.

Secundò pro loco administrandæ Justitiæ, ut dum aliquis dicitur in jure comparere.

Tertiò pro sententia judicis, sic judex iudicando dicitur jus dicere. Quartò pro lege, quæ est regula reddendi justum. Dividitur in hoc sensu jus in naturale, Divinum & humanum, hoc subdividitur in civile & canonicum. Hæc juris acceptio arctatur ad solam naturam rationalem, quam si independenter ab ulla inter se Societatis humana conventionem, vel lege libera lata ligat præcipiens aliqua bona, verans mala, aliqua ex bonis permittens, est jus naturale, & huic etiam DEUS subest; quando autem ligat ex libera voluntate DËI dicitur jus positivum Divinum, humanum verò si dependenter à voluntate humana; hoc si respicit directè publicam totius communitatis utilitatem, vocatur jus publicum, & altum; si directè respicit propriam cujusque utilitatem licet indirectè, & ex consequenti in publicum commodum redundet, dicitur

privatum, & bassum. Quando Author juris humani est potestas laica, dicitur jus civile, canonicum verò, quando Autoritate Ecclesiastica à summis Pontificibus est constitutum, aut approbatum ad actiones fidelium rectè ordinandas proximè ad cultum Divinum, pacemque ac Justitiam externam in populo conservandam, & augmentam hinc, atque in futuro ad beatitudinem consequendam.

Quare jus canonicum differt à civili dupliciter, præsertim ex titulo primo ex parte efficientis causæ, nam Canonicum efficit supremus Ecclesiæ Princeps, seu Pontifex, cujus subditi sunt omnes Christiani etiam Imperatores: Unde jus Canonicum etiam vocatur Pontificium, civile autem pro diversitate legislatoris vocatur Imperatorium, Regium, Municipale.

Secundò ex fine: civile enim jus habet pro fine actiones humanas in bonum commune secundum quod hæc congruunt humanæ Societati civiliter, sive secundum rectam rationem vivendi.

Quintò sumitur jus pro justo latè, seu pro omni honesto, ac legitimo, id est, con-

A

for-



formi alicui obligationi, sic complectitur actus, & objecta omnium virtutum.

Sextò pro justo, seu debito ex iustitia: jus sic sumptum ex parte creditoris dicitur activum, ex parte verò objecti quod respicit, dicitur passivum: sic v. g. Petrus Dominus libri habet jus in librum; illud jus ex parte Petri dicitur activum, liber verò, quem respicit ut suum, dicitur jus passivum. Jus

activum subdividitur in publicum & privatum, privatum jus ut insinuavi est particulare personarum, quale est jus proprietatis.

Tractatus præsens totus est in explicando jure sumpto hoc sexto modo, nempe quæ ejus natura, multiplicitas, quibus modis acquiratur, transferatur, violetur, ac violatum restauretur: Sit igitur



# DISSERTATIO PRIMA

*De Natura, & multiplicitate juris, perfectique Domini.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De natura juris proprietatis, & divisione.*

§. I.

*Definitur Jus Proprietatis.*

2. **D**ico jus proprietatis est legitima potestas moraliter restringendi per suam voluntatem libertatem alterius formaliter in favorem proprium præcisè ita Joann. Baptis. Gormaz hic Disp. 4. n. 178. post Maurum. Dicitur primò potestas legitima, id est, cui lex, aut quasi lex favet, nisi enim talis sit, erit vis, & Tyrannis. Dicitur secundò moraliter restringendi libertatem alterius, hoc est obligandi alterum, ne moraliter, id est, licitè possit facere id, quod alias potentia physicà potest facere, & sic innuitur

vis juris activa in libertatem alterius, & simul ponitur differentia à mera licentia, quæ etiam est potentia legitima commodum percipiendi, quin alterius libertatem queat restringere. Dicitur tertio formaliter, id est immediate, directè, ac principaliter ordinatur in proprium, sive sui subjectum videlicet propriæ libertatis bonum, commodum, & favorem, sive deinde hic sit quid positivum, ut uti suâ domo, sive quid negativum, ut non vulnerari, non impediri fraudulenter à boni alterius consecutione, &c. Sive sit distinctivum quid à commo-  
do